PERDICEM THEMATE PHISIOLOGICO PRAESIDE M. JOHANNE CLODIO, DEGUSTANDUM...

Johann Clodius, Johann Heinrich Rebhun

Ἄνευ προοιμίου καὶ παθῶν!

TH. I.

A Definitione, omnem qvæ ab arte aliqvâ proficiscitur, Tractationem ordiri jubent Sapientiores. Nec nos methodum Philosophis familiarem fastidiemus. Secundum utramq;, tàm Nominis qvàm Rei, excutiemus PERDICEM. Sed ὡς ἐν βραχεῖ. Natales PERDICIS nostræ arcessunt Autores vel è Latio vel ex Hellade. Illi à *Perdendo*, eò qvod ova *perdat* libidine furens. Ita Mediolanensi Præsuli verè ἀνθρωπίνως ipsi videtur. Hi sunt bifidati. Sunt qvi ἀπὸ τοῦ περισσῶς ᾄδειν, à copioso cantu deducunt; sunt qvi παρὰ τὸ πέρδειν à peditu (ignoscite verbo Catulliano.) Neq; enim curamus reliqva qvæ Etymologus & Varinus addunt: Πέρδιξ παρὰ τὸ περισσῶς ᾄδειν ἢ παρὰ τὸ πηδᾶν ἀπὸ τόπου εἰς τόπον ἢ ὁ περισσῶς διωκόμενος καὶ φεύγων ἢ παρὰ τὸ πέδον ὃ σημαίνει τὸ χαμαὶ τὴν γῆν. Χαμαιπετὲς γὰρ τὸ ζῶον, καὶ μὴ σφόδρα εἰς ὕψος αἰρόμενον, μηδὲ περιδινεῖσθαι ἐν ἀέρι δυνάμενον. Verum frustra esse Ambrosium heic loci cum Latinismo suo, facilè videtis, qvi merè Græcanicam cum Philologis agnoscit. Res est in proclivi. Nec tamen illis pollicem premere possumus, qvi nescio qvid περισσὸν ᾄδειν per somnium audiverunt. Namqve illos Allusionē cum Etymologiâ confundere, qvis non videt? Illustris Scaliger ad Varr. probabilius producit Etymon, ita enim ille: Πέρδιξ παρὰ τὸ πέρδειν, *Eum enim sonum edit, unde κακκαβίζειν qvoq; dicitur & κάκκη, fœtor. Unde cacare.* Ut adeò mens ejus sit, Nomen accepisse illam Avem à strepero illo sonitu, qvem inter eundum edit, aut volando imitatur. Nos cum Scalano Heroe ea propter non litigabimus. Nec circa Homonymiam multùm laborabimus. Ex Aldrovando discimus, Perdicum nomine varias avium species confundi: qvin imò Buglosso & Mullo piscibus tribui, idem refert. Vid. lib. XIII. Ornitholog. cap. XVII.

TH. II. Derivata heic subnectere non ἀπροσδιόνυσον erit. A PERDICE itaq; nomen habet περδίκιον, qvod *præter pullum Perdicis* etiam significat *Herbam*, qvâ id avium genus imprimis delectari fertur. Plinius l. XXI. N. H. c. 17. de illâ sic: *Perdicium & alia gentes*

am Ægyptii, ἀδάει, nomen dedit avis, id maximè eruens. Hæc ille. oc Perdicium Plinii & Cornelii Celsi, qvomodo ab illo Theophrasti fferat, vide apud Aldrovand. l. c. p. 59. b. in fin. qvippe qvi Plinium, omonymia deceptum, duas herbas diversissimas in unum confudisse ait, nimirum Parthenium Dioscoridis & Helxinen s. Parietariam Cornelii Celsi. Sed hæc ad Botanicos remittimus. A Perdicum venatione qvoddam Accipitris genus accepit nomen περδικοθήρας, Latinò perdicarium, qvod naturali qvodam instinctu hasce alites insectetur. Præterea inde est ἐκπερδικίσαι, qvod Græcis proverbii locum dedit de callidâ fugâ. Ut enim sagacissima est Avis: ita Aucupes illam cum pullis captantes mirâ calliditate eludit. Illa etenim animadvertens, sibi vel pullis insidias parari à qvoqvam, obviam è nido advolans illicò & ad pedes ejus provoluta, deditionem qvasi simulat: cui prædæ dum auceps unicè intentus inhiat, pedetentim nonnihil ab illo recedit & sic aucupem persеqventem longiùs longiusq; á nido revocat, usqve dum pullis aufugiendi spatium sit (eos namq;, si volatui sint, caccabatu suo, ubi paululum à nido digressâ, illicò excitat, sin minus, ut interim, dum aucupem dictâ ratione circumvenit, supini se terræ gleba pedibus apprehensa obtegant, monet: qvâ occultandi arte ipsamet etiam mater nonnunqvam utitur.) Consentit heic Aristot. l. IX. Hist. Animal. c. IIX. & alii, qvos inferiùs vide. Inde igitur est, ut ἐκπερδικίσαι itemq; διεκπερδικίσαι idem sit qvod more Perdicis callidè subterfugere, astutè elabi, periculumq; evitare. Sic apud Aristophanem in Avibus, qvem vide infra Th. V. Conf. Erasmum in Adag. Chiliad. sub Tit. ELABENDI. Porrò huc etiam nonnulli referunt PERDICCAM Macedonem, Alexãdri M. Comitem, qvi in regni etiam partẽ successit. Eò enim allusisse volunt Sophoclem in Comic. al. Ceramic. Ὄρνιθος ἦλθ' ἐπώνυμος πέρδικος ἐν κλειτοῖς Ἀθηναίων πάγοις. *In celebres Athenienſium pagos venit Qvi cum Perdice nominis societatem habet.* Πέρδικος σκέλος (*Perdicis pes*) apud Suidam refertur Proverbii loco; qvod etsi communiter de loripedibus & claudis usurpetur, origine petita à caupone illo claudicante Aristophanéo, ejus nominis, non tamen inconveniens videtur, ad dolosos & vafros accommodare (fundamento à Perdicum astutia desumto) qvi subdolè & cautè in rebus suis progredientes, modò huc, modò illuc se proripiunt & sic vacillatione spectantium spem eludunt. Citatus apud Athenæum Versus

ἐγχεῖ

ἐγχεῖ πιεῖν μοι καὶ τὸ πέρδικος σκέλος, in [illegible] quadrat, qvorum pedes tentat vinum luctator dolosus, ut apud Comicum est, ubi ita vicit vinum, ut neq; *pes* neq; mens officium suum faciat satis, phrasi Terentianâ Eun. IV 5.13 Namq;

> Vindicat ipsa suos, qvos pertulit, uva, labores:
> qvæ, pede qvòd premitur, subtrahit ipsa pedem.

Th. III. Apud Ebræos vocatur קורא à Radice קרא qvod vel Vocare vel Clamare notat. Vocandi notio placet Scaligero, Clamandi autem Buxtorffio, qvippe qvi à Clamore sic denominatum vult PERDICEM. Verùm si τὸ קרא propriè Clamorem voce significatâ, conceptis & expressis verbis factum importat, adeò qvidem ut ab aliis etiam Clamandi verbis eo ipso differat, qvod ait in Lexico sub קרא, non video, qvêi in clamorem Perdicis inarticulatum qvadret. Mallem igitur præferre Scaligerianam, (cui etiam favet Santes Pagninus, nisi qvod hic rationem sibi ignotam esse dicit) qvæ à pullorum vocatione nomen inditum contendit. Ita enim ille ad Varron. *Ebræis Qvore, i.e. κλητὴς qvod pullos vocet.* Nam τὸ קרא voce semper articulatâ fieri nego. Alii ajunt, inde nomen habere, qvod inter venandum clamore sodalitium advocet qvasi in auxilium. Cæterum an τὸ קורא etiam קיקי, qvod Gallicæ dialecto (cocu) Cuculus est, notet, ut Raschi vult alicubi, nostri fori non est. Græci porrò (ut est lingva dicendi copia, vel Cicerone teste, pollens) alio nomine audit qvoq; *κακκάβα* apud Hesych. & aliâ terminatione *κακκαβὶς* apud Alcmanem, itemq; etiam *κάκκαβος*; inde est *κακκαβίζειν* apud Aristot. l. IV. H. A. c. IX. Latinorumqve Caccabare, sonum Perdicum proprium exprimens, qvo de mox vid. Th. IV. Nostri vocant ein Rebhun/ q. d. ein Rebenhuhn gallina vitium, à loco qvem amat illa Avis, hinc Gyb. Longolius circa Coloniam Agrippinam in vinetis montanis versari Perdices dixit, perinde ut Attagen (de qvo mox) Germanis dicitur ein Haselhuhn/ gallina corylorum, qvod inter corylos gaudeat: Qvamqvam (qvod obiter noto) Aldrovando Attagen & Gallina corylorum distingvantur. Cujus commodùm heic mentionem injicimus, qvia subnectere animus erat aliâs Cognatas & Affines Perdicibus Aves, puta *Attagenes & Tetraces. Attagen* Martinio in Lexic. Philolog. est Avis picto dorso, colorem habens fictilium sed magis subrufum. Qvæ descriptio est Alexandri Myndii ap. Athen. lib. IX c. IX.

ὅλος

Θ κατάχεαφΘ τὰ περὶ τὸ νῶτον, κεραμοῦς τὴν χρόαν, ὑποπυρ-ρόν μᾶλλον. In deliciis olim fuisse colligitur ex illo Aristophanis in Icon. Ἀτλάγας ἥδιστον ἐν ἐπινικείοις κρέας, *Attagen suavissimus in epulis triumphalibus cibus est.* Huc facit, qvod Hieronymus in Epistola ad Asell. habet: *Tu Attagenem ructas & de comeso accipensere gloriaris, ego fabâ ventrem impleo.* Inprimis celebres ex eo genere fuerunt Jonici, qvod conjicitur ex Martial. lib. XIII. Epigr. 59.

Inter sapores fertur alitum primus
Jonicarum gustus attagenarum.

Conf. Horat. Epod. II. 54. *Tetrax* Athenæo l. IX. est avis, qvæ magnitudine excedit maximum Gallum, qviq; ab auribus utrinq; παλλαια dependentia habeat, ob qvæ etiam nomen accepisse putetur. Nostri vocant einen Ur- oder Auerhahn. An à senio dicatur Urhahn / an à caudâ, qvæ Græcis ὀυρὰ est, an verò Auerhahn ab aurâ, qvam facillimè sentiat ob rarissimum corpus, qvod conjiciunt non-nulli cum Christ. Encelio l. III. de lapid. c. 54. nunc non licet controvertere. Latinis aliàs etiam Urogallus, qvi describitur à B. Sperling. *qvod sit Avis nigricans sylvas montesq; inhabitans, ac carnem suavem habens, præterea grati saporis ac non nisi principum ac magnatum mensis nasci* eidem dicitur Instit. lib. IIX. c. V. An Urogallus & Tetrix Aristotelis eædem aves sint, excutere jam non vacat. Tetraon autem (alii Tetragon) Plinio descriptus, lib. X. c. 22. cum nostro Urogallo utiqve videtur convenire.

TH. IV. Hactenus Nomen ex Philologiâ evolvimus. Realis itaqve succedit Definitio, vel ut rectius loqvar, Descriptio. Ea talis esto: *PERDIX est Avis Caccabans, docilis, callida, libidinosissima, societatis amans, plus cursu qvàm volatu valens.* Notanter dixi Descriptionem. Neq; enim est, ut qvis à Nobis expectet Differentiam Perdicis specificam. Qvod liberalis Scaliger Nominatori formæ lapidis promittit, eodem & nos excidemus dono. *Humi enim nostra repit scientia*, sunt verba Desideratissimi B. SPERLINGII, *& formarum* (specificarum) *omnem fermè in modum nescius est animus, sæpèq; cum formam invenisse gloriatur, vix misellum est accidens.* Instit. Phys. l. I. c. III. Resolvenda nihilominus est Descriptio. Conceptus Genericus est AVIS. Specificus ob latentiam formæ à Propriorum desumitur collectione. Ubi ante omnia monendum, ne disjunctim, sigillatim aut privativè accipiantur,

piantur, ſed conjunctim, collectivè & cumulativè. Cautelam iſtam non ſine cautione dedit laudatus SPERLINGIUS de Avibus in genere l. lib. IIX. c. V. ad Præcept. I. occaſione Verborum Cardano-Maſſ... Deſumuntur autem illa Propria *primò* à Voce. Nam τὸ κακκαβίζειν, (pro qvo apud Euſtathium legitur κικκαβάζειν & apud Cœl. Rhodigin. l. IX. A. L. c. 10. κικκαβᾶν, apud Heſychium etiam κακκάζειν) Caccabare proprium Perdicum eſt, perinde ut Ciconiarum glotturare, anſerum gingrire, gallorum cuccurire, corvorum crocire &c. Dicis: Nec ſoli competit τὸ κακκαβίζειν, nec omni. Probas. Non ſoli, qvia etiam ululis tribuatur apud Ariſtoph. in Lyſiſtr. Nec omni. Ita enim Athenæus l. IX. Deipnoſophiſt. c. X. οὐ πάντες δ' οἱ πέρδικες, φησὶ, κακκαβίζουσι. Ibiq; allegat Theophraſtum περὶ ἑτεροφωνίας τῶν ὁμογενῶν, Athenis Perdices citra Corydalum pagum πρὸς τὸ ἄστυ (oppidum verſus) κακκαβίζειν, ultra verò pagum τιτυβίζειν vel τιτιβίζειν: qvod nomen ſonum aliqvem magis ſtridulum importat & velut τὸν τρισμὸν (namq; & hunc Perdicibus ipſe Stagirita tribuit.) Verum Reſp. ad prius: Ab attributione impropriâ, catachreſticâ & abuſivâ, ad negandam propriam & ſpecificam denominationem N. V. C. Etiam τὸ Ridere Cuculo & Pſittaco tribuitur. Τὸ ערג apud Ebræos eſt Cervorum proprium, (Pſal. XLII 2.) & de brutis tamen in genere legitur (Joël. I. 20.) Ad poſterius (*α*) à potiori fieri denominationem. Titybizent licet ultra Corydalum, reliqvi tamen caccabizant. (*β*) Ab accidentali vocis immutatione & differentiâ ad diverſitatem ſpecificã N. V. C. De Corvo B. Sperling. l. IV. Zool. c. XVI. *Varias edit voces, adeò ut Fulgentius 64 numeret: maximè verò propria & naturalis vox Crocitus eſt.* (*γ*) τιτυβίζειν etiam Hirundinum eſt, teſte Varino l. V. de Avib. c. 14. (*δ*) τρίζειν autem Ariſtotelis in genere eſt ſtridentium qvorumcunqve. Id enim infert τρισμός. Conſule Lexicographos.

§. V. *Deinde* notatur earum Docilitas. Agnoſcit illam ipſe Statius lib. II. Sylv. Perdicem Avibus loqvelæ humanæ imitatricibus accenſens. Ita enim canit:

---- --- --- Plangat Phœbeius ales
auditasqve memor penitus demittere voces
Sturnus & Aonio verſæ certamine picæ
qviqve refert jungens iterata vocabula Perdix &c.

Nec

ec eſt ut qvisqvam excipiat, Hirundinem ſeq. verſu (& qvæ Biſtonio qveritur ſoror orba cubili Ferre ſimul gemitus) itidem annumerari, qvæ tamen neſcia ſit humani ſermonis. Nam (α) Prognen in Hirundinem transformatam non omnes concedunt. Græcorum nonnulli omninò malunt Luſciniam. (β) Luſciniæ autem docilitatem qvis ignorat? Nonne Druſus & Britannicus Claudii Cæſ. filii Luſcinias aluerunt Latino & Græco ſermone loqventes? (γ) Nec Hirundines lingva bifidata improportionatas mimeticæ loqvutioni arguit. Conf. Aldrovand. l. c. p. 51. ubi mira Docilitatis Perdicum exempla refert ex Nicolao à Nicolais lib. 2. Navig. Orient. c. 8. & Odorico de ForoJulii, qvod poſterius etiam citatur à Jonſtono in Thavmatogr. Claſſ. VI. c. 31. ubi lege & miraberis.

TH. VI. *Tertio* petitur ab aſtutiâ, ubi dicitur *Callida*. Sanè Perdices egregia & Sagacitatis & Calliditatis ſpecimina præbent, ex qvibus prudentiæ illius congenitæ ſemina luculenter deprehendere licet. Sagacitatis exemplum apparet in Ave hâc, qvod matris vocem inter alias omnes agnoſcat pullus, adeoq; naturali diſcernendi qvâdam ἀγχινοία polleat, qvam etiam in Ovibus, ſimplici animalculo, cernimus. Qvin etiam proprios parentes ab hypobolimæis, qvorum incubatione excluſi ſint, dignoſcere norunt, qvos ne homo ipſe qvidem, qvem Deus omnium animantium Dominum conſtituit, ſi à parentibus in infantiâ deſeratur, ab aliis diſcernere novit. V. Aldrov. l. c. p. 52. Aſtutiæ ſpecimina deprehendimus tàm in feris qvàm in cicuribus. Dum enim Aucupes has adhibent ad capiendos Sylveſtres, expanſis caſſibus manſvefactum Perdicem, ſive mas fuerit ſive femina, illigant, hic caccabatu ſuo feros ad ſe vocat, cujus vocem etiam ſeqvuntur tàm maſculi, qvippe cum maſculo decertaturi, qvàm femellæ, ad exercendam ſcilicet cum illo Venerem. Ubi jam ferus cum manſveto inter retia luctari conatur, hic qvaſi timidus fugam ſimulans, pedem retrahit ſubinde, ut ferus colluctator, imprudens qvaſi, magis magisq; irretiatur. Cui capto, dum, qvi in inſidiis ſunt, reliqvi ſuccenturiantur, (neqve enim laceſſenti Perdici herbam porrigere volunt) eodem ſtrategemate decipit illos. Femellæ, qvas Venus eò pellicit, plagis ſimilem in modum implicantur. Tetigit hoc aucupii genus Plinius l. X. H N. c. XXXIII. *Capiuntur*, inqviens, *pugnacitate libidinis, contra aucupis indicem* (malo cum Turnebo l. XXIV. Advers.

verf. c. XXXIIX. *Illicem legere*) *exeunte in prælium Duce totius gregis Capto, eo, procedit alter, ac subinde singuli.* Conf. Athenæus lib. cit Qvam astutè in aucupes ipsos illudant aliàs feri, superius jam ferè dedimus. Liceat tamen id aliis verbis interim repetere ex Athen. l.c. ubi ita: ὅταν δὲ γνῷ, ὅτι θηρεύεται, προσελθὼν τῆς νεοττίας κυλινδεῖται παρὰ τὰ σκέλη τοῦ θηρεύοντος, ἐλπίδα ἐμποιῶν τοῦ συλληφθήσεσθαι, ἕξ ἀπατᾷ ἕως ἂν ἀποπτῶσιν οἱ νεοττοί. Εἶτα καὶ αὐτὸς ἐξίπταται. Qvæ ipsa Plinii verbis potius qvàm meis reddam. Ita enim ille l.c. *Si adnidum is* (aucupans) *cæperit accedere, procurrit ad pedes fæta, prægravem aut delumbem sese simulans, subitoq; in procursu aut brevi aliqvo volatu cadit fracta aut alâ aut pedibus: procurrit iterum jamjam prehensurum effugiens, spemq; frustrans, donec in diversum abducat à nidis.* Addit: *Eadem pavore libera ac materna vacans curâ, in sulco resupina gleba se terra pedibus apprehensa operit.* Hæc ille. Confer egregia apud Plutarchum super hâc re in Libro, cui titulum fecit: πότερα τῶν ζώων φρονιμώτερα, τὰ χερσαῖα ἢ τὰ θαλάσσια. Factum hinc, ut Cœlio Rhodigino sit πανοῦργον ὄρνεον πέρδιξ lib. XXIX. A. L. c. XXVI. Et Athenæo ζῷον κακόηθες καὶ πανοῦργον l. c. Conf. Basilius homil. VI. in Hexaëm. & hom. XIII. Exhort. ad Bapt. Qvin imò ab Ave ad Homines astutos ac vafros, proditores & id genus pestes abiit, qvod ex Aristophanis Avibus patet. Sic enim ille:

εἰ δ' ὁ Πεισίου προδοῦναι τοῖς ἀτίμοις τὰς πύλας
βούλεται, πέρδιξ γενέσθω τοῦ πατρὸς νεοττίον
ὡς παρ' ἡμῖν οὐδὲν αἰσχρὸν ἐκπερδικίσαι.

Si Pisiæ (filius) prodere infamibus portas velit,
Perdix fiat patris pullus (perinde versutus ac pater)
nam apud nos turpe non est subterfugere (callidè in morem Perdicis.)

TH. VII. *Qvarto* à Salacitate describitur. Passeris lascivia etiam à Poëtis celebratur. Nævolus Draucus in Virronem Cinædum suum apud Juvenalem debacchans, *Passeris* voce illum compellat sat. IX. 54. Hoc nomine etiam nobilitantur ex Avium genere Galli, Anates, Coturnices, Pavones, Gallopavones &c. Qvibus omnibus salacitate antecellunt ferè Perdices, si vera sunt illa omnia, qvæ traduntur. Namq; (1.) Perdices feminæ, etiam dum incubant, contra aliarum avium morem, à coitu sibi temperare neqveunt. Etsi enim Plutarchus id infitiari ausus sit lib. de solert. animal. Aristot. tamen l. IX. H. A. c. 8. Plinius

X. N. H. c.33. & Athenæus lib IX. Deipn. c.13. atq; Oppianus id testantur; qvin imò posterior hic, Scriptor non contemnendus, nonnunqvam eò libidinis progredi ait, ut totam pullitiem negligant, nimirũ ne incubatione detentæ aut educatione pullorũ à coitu abstrahantur. Dein salacitatem Perdicum colligimus (2.) ex eo qvod imaginis in speculo repræsentatæ visu ad libidinem inflammentur. Etenim, pergit apud Athenæum Clearchus: *φανερώτατον γίνεται περὶ τῆς ὀχείας, ὅταν ἐξ ἐναντίας αὐτοῖς θῇς κάτοπτρον, προστρέχοντες γὰρ διὰ τὴν ἔμφασιν ἁλίσκονται καὶ προΐενται τὸ σπέρμα. Manifestissimum id est tempore coitus,* (ita enim verto) *si ex adverso speculum ponas, siqvidem procurrentes ad eam, qvam cernunt, imaginem, capiuntur & semen emittunt.* Confirmat rem B FRANTZIUS in Hist. Anim. Sac. part. II. c. XI. ubi ita: *libidinosissima est præ cæteris omnibus* (Avis), *imprimis masculus, ita ut etiam capiatur in libidine proposito speculo, cum adversus suam speciem visam exardescit.* Qvin (3.) vel solo auditu femellæ ad Venerem proritantur mares. Producam hujus rei testimonium. Clearchus lib. de Panico: *οἱ στρουθοὶ,* inqvit, *οἱ πέρδικες, ἔτι καὶ ἀλεκτρυόνες καὶ οἱ ὄρτυγες, προΐενται τὴν γονὴν, οὐ μόνον ἰδόντες τὰς θηλείας, ἀλλὰ κἂν ἀκούσωσιν αὐτῶν τὴν φωνήν. Passeres, PERDICES etiam Galli & Coturnices emittunt semen, non saltem feminarum contuitu, sed etiam voce earum saltim auditâ:* apud Athenæum l. c.

TH. IIX. *Num verò sola maris voce auditâ ejusq; contmpositione, vento à maribus delato, aut volatu superno, concipere possit femella Perdix,* disqvirendum est brevissimis, occasione Nonnullorum, qvibus affirmativa placet, allegando pro se autoritatem Æliani l. XVII. Hist. c.15. Plinii l. X. H. N. c 33. & qvem primo loco dictum oportebat, Aristotelis l. V. H. A. c. 5. Præ cæteris hîc sudat Niphus, Aldrovando citatus, qvi, qvod allegati Autores spiritus cujusdã fetifici mentionem injiciunt, ex Ephesio illum interpretatur vaporem, qvi deferat calorem elevatum à genitali semine maris, qviq; susceptus per meatus Perdicis penetret ad menstrua illius & sic conceptionem fieri ait. Eadem hæc recitat Jonstonus in Thaumatograph. l. c. Verum Negativam meritò amplectitur Albertus Magnus. Is non solum negat autoritatem, qvod ad illum conceptionis modum, Aristotelis, verum etiam ipsius rei veritatem; qvin potius illa tria (ventum à mare, auditum vocis & lingvam exsertam) libidinis ante coitum incentiva adeoq; coitus antecedentia esse

vult.

eulc. Provocat simul ad exempla gallorum & gallinarum, ad propriam experientiam in Germaniâ circa domesticos Perdices. Et ubi Conceptionis fœcunditatem ad pullum negaverat, ratio-nem illicò subjungit, ad pullum necessariam esse receptionem seminis corpoream. Præterea se observasse ait, domesticos Per-dices coire more cæterarum Avium, ut sc. semen inferius reci-piant & coitus tempore fœtent. Insuper, addit, evaporationem seminis non habere præfinitum motum in vulvam feminæ, cum multiplicetur circulo ab mare Perdice, qvi sit veluti centrum circularis evaporationis. Etsi autem Albertus heic ἐν παντὶ no-bis non sit ὁ πάνυ, in capite tamen caussæ nobiscum consentit. Eqvidem, qvod Sagiritam illa de Perdicibus scripsisse negat, (citante ita Aldrovando) in eo memoriæ lapsum passus fuisse videtur. Licet enim Varro ejusmodi conceptionis autorem Ar-chelaum qvendam citet l. III de re rusticâ c. 2. Interim diversos de eâdem re idem sentire qvid obstat? Unius positio non est al-terius exclusio. Provoco ad ipsam Philosopi evolutionem. Ita enim ille: οἱ πέρδικες, αἳ κατ' ἄνεμον στῶσιν αἱ θήλειαι τῶν ἀρρέ-νων, ἔγκυοι γίνονται, πολλάκις δὲ καὶ τῆς Φωνῆς, ἐὰν ὀργῶσαι τύ-χωσι, καὶ ὑπερπετομένων, ἐκ τοῦ καταπνεῦσαι τὸν ἀέρα. Quæ ex vulgari Versione ita sonant: *Perdices, si adversæ maribus ste-terint, ventusq; inde afflet, ubi mares stant, concipiunt & maritan-tur. Plerumq; etiam voce marium utero ingravescunt, si gestiunt, ac libidine turgent. Volatu qvoq; supernè marium effici idem pot-est, videl. dum mas ipse in fœminam fœtificum spiritum demittit*, l. V. H. A. c. V. Sed nec illo Adversarios adeò stringit qvando ad obser-vationem suam provocat, qvâ Perdices domesticos more reliqva-rum avium coëuntes advertit. Sic enim saltim ordinarium modū conceptionis adstruit, (loqvor κατ' ἄνθρωπον) qvē nec Adversarii negant. Ita nec illud, qvod de circulari seminis evaporatione urget, excutiam, ut ut non de nihilo esse videatur. Qvod præterea exertam lingvam ad antecedentia coitus saltim refert, in eo non omni ex parte dissidet Aristoteles, qvi oris hiatū & lin-gvæ porrectionē ad concomitantia coitus saltem refert: χάσκει δὲ καὶ inqviens, ἡ θήλεια καὶ ὁ ἄρρην, καὶ τὴν γλῶτταν ἔξω ἔχουσι περὶ τὴν τῆς ὀχείας ποίησιν: *Ore hiante exsertaq; lingva, & mares & femi-*

na coeunt. Verum illud de receptione seminis corporali effatum utiqve meretur calculum nostrum. Qvid spiritalis & phantastica receptio ad fetum realem & physicè perfectum producendum? Nego phantasiæ tales esse vires. Aliud est ἐξονείρωξις, aliud Conceptio. Illam imaginatrici facultati concedo, non hanc. Videbimus tamen qvid οἱ ἐξ ἐναντίας ad hoc reponant. Postqvam Aldrovandus cum Nipho exposuerat sententiam suam de conceptione fœcundâ & ad ova & ad pullos (qvam posteriorem negaverat Albertus) idq; ex mente Aristotelis, subjiciunt, negaturum esse Aristotelem, ad conceptionem semper reqviri receptionem corporalem, qvum in solis Perdicibus aliqvando præ nimiâ libidine sufficiat spiritalis genituræ receptio. Ita illi. Sicuti autem in præsenti de mente Aristotelis non laborabimus, an ille conceptionem ad ova saltē hypenemia intenderit necne, (ubi prius illud sat apertè asserere videtur l.III. de Generat. Anim.c.1.) ita nemo non videt, Ἀριστοτελοφίλους ineptè petere τὸ ἐν ἀρχῇ. Perdicum fetûs conceptio spiritalis & phantastica controvertitur. Pro nobis militat communis de corporali. Qvid ergò contra nos?

Th. IX. Sed & (4.) libidinis indicium est, qvod nec aucupum capita libidini intentæ formident. Edisseram iterum verbis Athenæi: ἐπὶ τοσοῦτον, ait, ἐπτόηνται περὶ τὴν ὀχείαν οἱ πέρδικες καὶ οἱ ὄρτυγες, ὡς εἰς τοὺς θηρεύοντας ἐμπίπτειν, καθίζοντες ἐπὶ τῶν καράμων (Aristoteles: καὶ πολλάκις καθιζάνουσιν ἐπὶ κεφαλάς) id qvod Latinè dabimus ex Plinio: *Rabie tantâ feruntur, ut in capite aucupantium sæpè cæca metu sedeant.* Circa qvam versionem noto, Plinium videri deceptum esse Græco πτοεῖσθαι apud Arist. & Athenæum adhibito, qvippe qvod non solùm *Trepidare metu,* vi significationis importat, verum etiam *ad Venerem incitari.* Hæc obiter. (5.) Libidinis explendæ causâ ova conculcat mas, incubatū femellæ impediturus. Rem verbis Aristotelis probabo: ὅπως μὴ ἐπῳάζῃ ἡ θήλεια, οἱ ἄρρενες τὰ ᾠὰ διακυλινδοῦσι καὶ συντρίβουσιν, ἐὰν εὕρωσιν, l. IX. H. A. c. 8. Qvem etiam seqvitur Athenæus, dicens: ἔτι δὲ ἀφροδισιαστικὸν (ζῶον), διὸ καὶ τὰ ᾠὰ τῆς θηλείας συντρίβει, ἵνα ἀπολαύηται ἀφροδισίων. *Etiam est* (animal) *Venereum. Ideoq; &* (mas) *ova femellæ conterit, ut fruatur ejus amoribus.* Hæc ille.

Et

Et hinc est qvod femina confractionem ovorum impeditura secedat & conspectum maris fugiat. Testatur hoc ipse Plinius, qvando ait: *Illæ & maritos suos fallunt, qvoniam intemperantiâ libidinis frangunt earum ova, ne incubando detineantur.* Addit etiam novum extremæ libidinis exemplum (6.) *Tunc inter se dimicant mares desiderio feminarum: victum ajunt Venerem pati. Id qvidem & Coturnices, Trogus & Gallinaceos aliqvando: perdices verò à domitis feros & novos aut victos iniri promiscuè.* Ita etiam Athenæus, allegans Aristotelem, qvi ita: ὁ δ᾽ ἡττηθεὶς μαχόμενος, ἀκολουθεῖ τῷ νικήσαντι, ὑπὸ τούτου ὀχευόμενος μόνου. Auget Ælianus l. III. c. 16. victum Victoris Venerem feminarum vice tamdiu pati, qvousq; & ipse alterius etiam victor factus flagitiosissimam illam libidinem exerceat in victum. Factum inde, ut Sodomiticæ aves nonnullis audiant. Sic enim Georgius Pictorius in Pentapol.

Huc etiam numeranda venit *Sodomitica Perdix*
qvæ volucris fertur luxuriosa nimis.

Eò etiam respexisse videtur Baptista Fiera *turpe-salacem Perdicem* vocans Ut adeò, qvod obiter noto, simul corruat opinio Phocylidæ & Grylli Sophistæ apud Plutarchũ, qvi in brutis Venerẽ masculam negarunt reperiri. Taceo Ælianum de Ichnevmone, Aldrovandum de Gallis & Columbis idem adserentes. (7.) Cui addi possunt exempla tum incestus, qvod vel pullos suos, simulac exclusi sunt, subagitent; tum promiscuæ cum aliis diversi generis avibus libidinis. Videatur sæpius laudatus Bononiensis loc. cit. pag. 54. Namqve ipsimet talia de brutis allegare ulterius exhorrescimus & erubescimus, qvippe ἀτυξία satis pudenda est, qvibusdam etiam brutis aliàs execrabilis. Patet hinc, Plinium non injuriâ scripsisse: *Non esse in alio Animali par opus libidinis* l. c. & qvod Athenæus habet: Τὸ δὲ ζῶον ὑπὸ λαγνείας συμβολικῶς παρείληπται, *Animal hoc symbolo qvodam est indicium salacitatis.* Unde non est mirum, Cleombrotum à Phrynicho in Tragœd. *Perdicis filium* vocatum, qvi hoc symbolo ejus libidinem notavit, judice Is. Casaubono ad Athen. l. c. Pierius Valer. lib. 2. Hierogl. *nihil ad enervatissimam*

tissimam libidinem & impudentissimam salacitatem exprimendam Perdice commodius esse inqvit.

§. X. *Qvintò* à Sociabilitate. De homine vulgò notum est, qvod τῇ φύσει sit ζῶον πολιτικόν, animal societatis amans. Qvod intendit etiam Etymologia Scaligeriana, qvà homo ab ὁμῶς (simul) deducitur, qvod is solus vivere nolit, sed velit cum aliis ex instinctu qvodam naturali negotiari & conversari. Faceret huc apprimè nomenclatura Hominis Arabica, juxta qvam, ubi in Ebraismo ab ægritudine & infirmitatibus, *à societate & familiaritate* denominatur. Sed isthæc ad Philologos remittimus. Naturalis ille instinctus etiam inter bruta qvibusdam insitus est. Licet enim Aqvilæ, Vultures & Accipitres sint solivagi, Anseres tamen, Gallinæ & Anates societatem amant. Qvis nescit à gruibus homines congruere? hi enim sive volitent, sive pascantur, se non separant, sed conjungunt, ordinem etiam inter volandum observantes. His etiam adsociamus PERDICES. Namqve & hæ gregatim volant, hyberno præsertim tempore, verno enim cum proli student, binas tantum volare ajunt, qvi earum naturam perspectam habent. Hinc Venatores vel Aucupes totos Greges (gantze Völcker) Perdicum in ore habent. Et hoc est, qvod sibi vult in Descriptione τὸ *societatis amans. Sextò* deniqve à motu. Volatus (solus) Aves non facit: alias & musca & scarabæus & apes essent aves. Rectè Scaliger: *neq; volatus* (præscribit Avem) *qvippe etiam Pisces volant.* Exercit. CCLVII. Sed tamen nec Avibus est derogandus. Magis & minus non variant speciem. Et vultur volatu gaudet, licet non æqve sublimi ac Aqvila aut Ardea. Pelecanus volat, etiamsi Accipitrem non æqvet. Sic nec in qvalitate conveniunt volatus. Vultur certè non æqvis passibus inseqvetur Accipitrem, nec Gallus aut Anas pernicitate Columbas adæqvabunt. Motûs tarditate & celeritate differunt. Testatur de hoc Perdicum humili circa terram volatu Metamorphoseωn Scriptor, ubi Talum f. Perdicem in avem transmutatum inducit lib. VIII.

avem
reddidit, & medio velavit in aëre pennis.

Sed

Sed vigor ingenii qvondam velocis in alas
inqve pedes abiit, nomen, qvod & ante, remansit,
Non tamen hæc altè volucris sua corpora tollit,
nec facit in ramis altoqve cacumine nidos,
propter humum volitat, ponitqve in sepibus ova.

Confirmat illorum volatus raritatem & brevitatem Athenæus l. c. ex Xenoph. l. 1. Ἀναβάσ. Κυρ. πέτονται ἐπὶ βραχὺ, *parum volant.* Diximus ergo plus cursu eas valere qvàm volatu. Et sic etiam explicandus est Plinius, qvi lib. X. c. 38. Perdices cum Rusticolis currere dixit; συγκρητικῶς sc. & κατά τι, qvod cursu plus polleant qvàm volatu: qvāvis (qvod addo) si semel ad volatū se composuerint, humilitatem velocitate compensent, est enim ille tùm satis impetuosus. Qvod autem Perdix plus delectetur cursu qvàm volatu, inde fit, qvod cum ansere eàdem ferè laboret difficultate. Minus valet pennis, multumqve carnis habet, *qvæ est causa*, sunt verba B. Franzii l. c. *qvod non possit in sublimia evolare & sicut anser nunqvam consistat super arbore, sed tantùm circa terram potius videatur currere qvàm volare.* Qvò facit qvod Aristoteles inter βαρεῖς τῶν ὀρνίθων eas refert l. d. H. A. Dicis: Nasonem l. c. Met. Perdicem super arbore considentem induxisse, ubi ait: *ramosa prospexit ab ilice Perdix.* Resp. ab inductione Mythologicâ ad proprietatem Physiologicam N. V. C. In aerem elevat Perdicem Ovidius, qvod è terrâ casum Icari longè prospicere alioqvin non valuisset. Circa volatum Boeotiorum mirum qvid annotavit Solinus, (nisi nobis fabulam obtrudat pro vero) præscriptas illos metas in aëre habere, qvas prætercire non audeant. Ita enim ille: *Perdices cum ubiq; liberæ sint, ut aves universæ, in Bœotia non sunt: nec cum volant, sui sunt juris, sed in ipso aëre, qvas transire non audent, metas habent. Inde ultra notatos jam terminos nunqvam exeunt nec in Atticum solum transmeant. Hoc Boeotiis proprium.* cap. 12 Polyhist. Forsitan Plinio debet hæc Solinus, ut alia plura. Namqve & ille l. X. cap. 29. negat, Perdices transvolare fines Boeotiæ in Atticam. (Ita enim legendum esse pro vulgari *in Atticâ*, ex Athenæo l. c. discimus). Ex qvo Pliniano loco

Joh.

Joh. Ravisius Textor cum aliis scripserunt, illud avium genus in totâ exulare Bœotiâ. Num inde Perdicum defectus universalis in Bœotiâ seqvatur, alii judicent.

TH. XI. Essent adhuc nonnulla, qvæ, methodum Zoologiæ SPERLINGIANÆ secuti, in medium afferre possemus de Nido, Incubatione, Exclusione, Educatione, Nutritione, Ætate, Capturâ, usu carnis in cibo & medicinâ &c. Verum ista omnia prolixè perseqvi spatii angustia vetat. Interim Lectorem Φιλομαθῆ & curiosum remittimus ad sæpius allegatum Italum, qvi hæc omnia pro more i.e. prolixè expedivit. Nobis enim omnia ex Onithologis huc transscribere nec vacat nec animus est,

TANTUM!

Ad Præstantiß.

DN. RESPONDENTEM

Concivem suum amicissimum.

Aviarium prægrande Macrocosmus est.
Delectat alitum genus mirificè
Oculos & aures, nec minus & hominis gulam.
Vario colorum recreat spectamine
Oculos; suävi recreat melismate
Aures; salubri recreatq; edulio
Gulam. Sed hæc Apitium permulceant:
Tibi, grata mentis ingeniq; pabula,
Concivis æstumate, sunt. Ostendit hoc
Meletema præsens, alitem *Cognominem*
Dum ventilas. Ego ausibus congratulor.
Nunc amplius repande Naturæ abdita.
Haut pœnitebit hic labos, qvem suscipis,
Sed alitum modo super micantia
Fereris astra Nominis famâ tui.
Sic comprecor. Jehova Votis annuat.



PRÆSES.